

Gigas de Pensionibus q. 52. per totum, ubi ostendit, non ad beneficiatum spectare, sed ad hæredes Pensionarii, quia pensio assignatur pro alimentis; qui verò habet alimenta sibi assignata, & legata, decedens transmittit ad hæredes Jus exigendi alimenta præterita, & non exacta. *l. uti fuit §. fin. ff. usufructus*. Vel debentur Camaræ Apostolicæ titulo spoli, ex *Constit. 7. Julii III.* Et ita in terminis de Pensionibus inexactis est *Constitutio 42. §. 6. Beati Pii V.* quia in materia spoliiorum pensio æquiparatur Beneficio, *Garzias de Benef. p. p. c. 5. num. 161.*, *Barbat. supra num. 26.*

28 Si Pensionarius negligat exigere Pensio-

nem, an amittat possessionem, vel quasi exigendi eandem, & *Rota coram Burato decis. 347. num. 10.*, & *II. resolvit*, neq; amissam per cursum 30. annorum, eo quia cum alius non sit ingressus in possessionem, prout in incorporalibus, non potest ingredi, neque fuerit petenti denegata pensio; idè semper præsumitur animo civilem, quasi possessionem, retinuisse, ad quod *eod. num. 11.* plures aliæ Decisiones allegantur, *Antonell. de tempore legali lib. 2. c. 6. nu. 75.* *Rota coram Pirovano in Albanen. Confinium 22. Junii 1620. impressa post tract. Postii de manutenen.*, & *idem Postii de manuten. observat. 10. num. 100.*

## De Negligentia Principis.

### SUMMARI A.

- 1 Constituitur Princeps, ut populum sibi subditum tueatur, & si deficiat negligentia culpatur, & Jure naturali ligatur suis contractibus.
- 2 Jus Regis in primo lib. Reg. cap. 8., qualiter intelligendum, & num. 3.
- 4 Princeps negligens est, si non defendat Ecclesias, Pupillos, & Viduas ab oppressionibus, & spoliationibus.
- 5 Tenetur defendere pauperes à præpotentia divotum.
- 6 Non potest uni gratiam facere, in præjudicium alterius.
- 7 Princeps Ecclesiasticus, ut Papa, vel legatus de latere in commissione absolutionis ab excommunicatione debet semper apponere clausulam (satisfacta parte)
- 8 Absolvens non satisfacta parte, an validè? plures Theologi probabile putant validè, sed illicitè.
- 9 Negligens sustinere Jura Regni, culpatur.
- 10 Negligens procurare quietem, & tranquillitatem subditorum, deficit in munere suo.
- 11 Tenetur diligenter curare, ne per ministros fiant extorsiones, ac eligere ministros timentes Deum, ac justitiæ amantes.
- 12 Negligens reddere Jus, & Justitiæ facere, peccat.
- 13 Negligens restituere aliena iniuste detenta peccat, nec potest absolvi nisi facta restitutione.
- 14 Potissimum debet curare, ne se ipsum negligat.
- 15 Non negligat gratiam Dei, quæ constitutus

- est in Principatu, & ne adulationibus elatus, in Judicium incidat diaboli.
- 16 Non negligat prudentum, & seniorum consilia, si vult feliciter regnare.
- 17 Principi negligenti, quando sit dandus coadiutor.
- 18 Potest, & tenetur Princeps impedire matrimonium, ne nobilis Vir conturbat cum notabiliter indigna meretrice.
- 19 Mulier quæ dicatur indigna ad effectum, ut matrimonium impediat Princeps, aut Judex.
- 20 Meretrices tolerantur in republicis, non tamen debent tolerari, ut Juvenes incautos decipiant.
- 21 Quæ mala, expressit antiquitas in figura Amoris pueri, nudi, alati, deferentis facem, arcum, & sagittas.
- 22 Prudentia hominis non sufficit ad præcavendum contra deceptiones, & blanditias mulierum.
- 23 Digna foret prælatorum diligentia, si præciperent Parochis, ne assisterent matrimonio cum meretricibus, nisi de speciali sui licentia.
- 24 Scandala, prudenter timenda sunt justa causa impediendi matrimonia, & num. 33.
- 25 Etiam si sponsalia essent Juramento firmata.
- 26 Filius potest cogi ad id, quod jure naturali, & charitate tenetur erga parentes, nec læditur libertas, num. 27.
- 28 Ex quo Jus cesareum irritat contractus minorum, & mulierum, sine solemnitatibus factos

- factos, non lædit libertatem naturalem.
- 29 Princeps impediens contrahere matrimonium, ex juxta causa, non facit contra concilium.
- 30 Magna contrahentium disparitas, timere facit subsequitur discordias.
- 31 Princeps, & Judex, ex officio tenetur curare, ut evitentur mala, & scandala subditorum.
- 32 Virtus Justitiæ nequit obligare ad actus, qui sine peccato fieri nequeunt.
- 34 Parentes possunt Principis auxilium implorare, ut impediatur matrimonia indigna filiorum, ad repellendas injurias, num. 35.
- 36 Plures rationes afferuntur, propter quas impediendum sit matrimonium indignum. Contrahens alligatur perpetuæ servituti.

- 37 Sacre scripturæ exempla, de prohibito matrimonio cum certis personis.
- 38 Enumerantur plura incommoda, tam inter contrahentes, quam inter eorum conjunctos, subsequutura, & num. 39.
- 40 Scrupulo caret, quod Ordinarius denegat, in hoc casu contrahendi, licentiam, non præmissis denuntiationibus.
- 41 Antiquitas in figmentis poeticis figuravit in Circe maga transformante homines in bestias, effectum insani amoris ad sceminam, ut omnino dementet hominem, & quasi ad paritatem bestiarum reddat, Usu rationis expertem.

## ARTICULUS XXXIV.

### De Negligentia Principum.

**I**N Principe sicuti multiplex est obligatio erga Populos sibi subiectos, ita multiplex esse potest negligentia, dum in iis, ad quæ tenetur, omissione deficiat; Princeps enim non sibi, sed Populo tuendo constitutus est, ita ut, si in propriam dirigat utilitatem, & commodum, quæ Populo debentur subdito, in Tyrannidem flectat, ut ex *Ezechiele* deducit *Opusc. de regimine Principum cap. 1.*, quod *D. Thomæ* adscribitur, Deus enim per *Ezechielem* detestatur Pastores, qui non gregem, sed semetipsos pascunt; Certum quoque est apud omnes, tum Juristas, tum Theologos, quod licet supremus Princeps non ligetur suis legibus, vi coæctiva, sed tantum directiva, & quadam naturali æquitate, & honestate, ut etiam ipse Imperator indicavit, in *l. digna vox C. de legibus, & constit.*, ubi innumeri *D. D.* allegati à *Barbosa*, & *D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3.*, ligatur tamen suis contractibus Jure naturali, Divino, initis, sive cum singularibus sibi subditis, sive cum tota universitate, ut ostendit *Azor tom. 1. lib. 5. c. xi. Vers. in hac itaque controuersia.*

7 Nec juvari potest Princeps ex iis, quæ habentur *p. Regum c. 8.*, ubi Deus præcepit *Samueli*, ut populo contestaretur, & prædiceret Jus Regis, nempe (filios ve-

stros tollet, & ponet in carribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, constituet sibi Tribunos, & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & currum suorum, filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas; Agros quoque vestros, & Vineas, & Oliveta optima tollet, & dabit servis suis, sed, & segetes vestras, & vinearum redditus ad decimabit, ut det Eunuchis, & famulis suis, servos autem vestros, & ancillas, & Juvenes optimos, & Asinos auferet, & ponet in opere suo; greges quoque vestros ad decimabit, vosque eritis ei servi) ex quibus videtur licere Principi, ea omnia in suam invertere utilitatem, & cum sit Jus Regis, non culpari posse, si quærum subditi indigent, negligat.

3 Verùm ex eodem contextu, quale sit hoc Jus regis, benè dignoscitur, dum non absolute Jus Regis dixerit Deus, sed Regis, qui Regnaturus est super vos, nempe Hebræos, qui Deum, eos regentem abiecerunt, ne super eos regnaret, & Regem hominem petierunt, in quo eos Deus in poenam audivit, deditque Regem, qui non subditorum curaret bonum, sed cuncta prænarrata sibi arripiens, flecteret in tyrannidem; Certi autem Juris est, quod habetur in *l. id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest de reg. Jur.*,



*Jur.*, ubi *Cagnol.*, ex pluribus ostendit, non posse Principem tollere Jus quæsitum Subdito, sine justa causa, quæ regulariter debet respicere bonum publicum; vel immediatè, vel mediatè, tunc enim, sicut in humano corpore ad conservationem totius scinditur membrum, si id exposcat necessitas, ita, & in corpore mystico, de quo satis ample *Jafon in l. Gallus d.*, & *quid si tantum à num 79*, & *seqq. ff. de liberis, & posthum.*, idèdque rescripta impetrata, contra utilitatem publicam, nullius sunt roboris, & momenti, *rototitulo C. si contra Jus, vel utilitatem public.*

- 4 Ex quibus sequitur primò, quod Principes tenentur protegere, & defendere Ecclesias, Pupillos, & Viduas, tum ab oppressionibus, tum ab iniuriis, & spoliationibus, in quò si negligentes fuerint, peccant, & tunc admoniti ab Episcopo, & ad defensionem vocati, adhuc in sua negligentia stertant, excommunicationem incurrant; ex dispositione *Joannis VIII. in c. Administratores 23. q. 5.*, ubi *glos. in V. Privatos ait, c. ab imperatoribus 23. q. 3.*, *c. Principes 23. q. 5.*, videtur ergò, quod ipso Jure sit excommunicatus Princeps, qui nõ facit Justitiam Clerico, *Salgad. de prolecl. regia p. 1. c. 1. prælud. 2. num. 70.*, & *seqq.*
- 5 Sequitur secundo, quod teneantur defendere pauperes adversus potentias divitum, alias de negligentia culpantur, ut declarat *Concilium Cartaginense relatum in c. ab Imperatoribus 23. q. 3.*, Undè in *l. si quis in hoc c. si que C. de Sacros. Eccles.*, habentur hæc verba (*si cunctis laudabile, factas Sacerdotibus injurias veluti crimen publicum prosequi*, & in *c. Maximianus Episcopus 23. q. 3.*, habetur, quod si Imperator expetitus ab Episcopo, neglexisset hostes Ecclesiæ reprimere, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia meritò culpanda, qua propter *Justinianus in l. Sanctissimarum ad finem C. de Episcopis, & Cleric.*, mandat omnibus subditis imperio suo, sub pena, ut auxilium, & opem ferant Ecclesiasticis personis, hodieque Christiani Imperatores, dum unctionem, consecrationem, & Imperii coronam accipiunt, Jurisjurandi vinculo se obstringunt, Christi Ecclesiam, summum Pontificem, Christi Vicarium, rotamque Ecclesiam protegere, ut in *Clem. 1. de Jurejurand.*, undè omittens hanc pro-

tectionem præstare, Imperator perjurus est, quibus autem solemnitatibus adhibitis, & quibus locis hæc juramenta præstet ex *Sigonio* refert, & describit *Azorius p. 2. lib. 10. c. 5. q. 4.*, ubi plures historias.

- 6 Sequitur tertio, quod Princeps non possit uni gratiam facere, in præjudicium alterius, puta bannitum à banno liberare, nisi satisfacta, seu concordata parte, quod si in rescripto hanc clausulam (*satisfacta parte*) vel (*concordata*) vel quid simile omittat, & negligat, peccat mortaliter, *D. Thom. 2. 2. q. 63. artic. 4.*, quia importaret personarum acceptionem, & *q. 67. art. 4.*, ubi quod læderet Jus partis; quapropter homicidam, furem, & similes malefactores, qui alteri injuriam, vel damnum intulerant, non potest absolvère, nisi concordata parte: *Farinac. de Inquisit. q. 6. nu. 18.*, & *seqq.*, *Conciol. resol. Criminal. V. Princeps resol. 1. nu. 2.*, *Guaccin. de pace q. 38. num. 4.*, ubi *nu. 8.*, quod neque debeat Princeps gratiam facere, nisi reportata pace ab offenso, ne sequantur scandala, alias omittens, & negligens, culpatur graviter, sicuti culpatur, si non curaret refici interesse, damnum passis: *Farinac. q. 6. nu. 18.*, *Tbesaur. decis. Pedemont. 21. nu. 3.*, *Conciol. resol. Criminal. V. Princeps resol. 1. nu. 1. vers. partis enim*, ubi *num. 7.* limitat, nisi offensus ipse provocaverit, dederitque causam offensæ.
- 7 Sequitur quarto, quod si Papa, vel Card. Legatus à latere committat absolutionem ab excommunicatione, debet semper in rescripto apponere clausulam (*satisfacta parte*) alias omittens, negligentia culpatur, & tamen ea clausula adhuc subintelligenda est; Utrum verò valeret absolutio ex clausula omissa in rescripto, plures *D. D. in c. Pisanis de restit. spoliatorum*, non valere existimant, quia clausula hæc de Jure habetur pro apposita, nec aliter præsumi potest facta commissio, quam pro ut de Jure, & quia aliter Princeps committendo facultatem absolvendi peccaret, quia læderet Jus partis, quod non præsumitur velle; *Bellet. disquisit. Cleric. rub. de favore Cleric. can. 5. num. 41. in fine. Vasquez. de excom. q. 20. num. 4.*, *Trulench. ad Bullam Cruciatæ lib. 1. §. 7. c. 7. dub. 12. num. 11.*, *Filiuc. trac. 11. c. 9. num. 295.*, & *332. Vers. quid autem in foro externo. Alterius de Censuris lib. 4. d. 4. dub. 4. in principio*, *Ricciul. de Jure persona-*

- personarum extra Eccles. lib. 4. c. 70. post nu. 15. Vers. Declaratur 2. nu. 16.*, & *17.*, plures tamen Theologi existimant probabile valere, quia subintelligitur quidem de Jure, hæc clausula, ita ut absolvens, ea non servata, male, idest illicite agat, sed tamen valide, *glos. in Clem. 1. de sequestrat. possess. in V. nullatenus*, *Sanchez. de matrimonio lib. 3. d. 33. num. 3.*, *Layman. Theolog. moral. lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 6. vers. quod si verò*, *Card. Zabarella in Clem. 1. de sequestr. possess. Vers. si quis autem*, *Felin. in c. ex parte de constit. Megala lib. 1. de censur. c. 10. num. 10.*, *Diana p. 1. tract. xi. resol. 22.*, in praxi tamen negativa sententia tenenda est, quia Juri conformior, nisi in casu quo per excommunicatum non stet, quin satisfaciatur, sed per partem offensam, quæ irrationabiliter, & ad solam vexationem, justam satisfactionem denegat acceptare, *Genuen. praxi Archiep. Neapolit. c. 25. num. 8.*, licet adhuc contrarium sustineat, ubi manifesta sit offensa, *Ridulfin. prax. for. lib. 1. c. 14. num. 311.*, & *seqq.*
- 9 Sequitur quinto, quod negligens Princeps servare Jura Regni, & honorem coronæ, in culpam incidat, quia non tam sua sunt, quam populorum, pro ut latius, *Card. Zabarella Consil. 137. num. 5.*
- 10 Sequitur sexto, quod omittens curare quietem subditorum, eorumque tranquillitatem negligat, multum deficiat à munere suo, *c. 1. de officio legati in 6.*, ita ut in penam tantæ negligentia possint deponi à Principatu, vel dari coadiutor, pro ut *Innocent. IV. dedit Regi Portugaliæ ignavo*, inutili, & negligenti, ut legitur in *c. grandi de supplenda negl. Prælat.*, ita, & *Zacharias Papa deposuit Regem Francorum*, tamquam ignavum, & inutilem, ut legitur in *c. alius 15. q. 6.*
- 11 Tenetur Princeps summa diligentia curare, ut per Ministros non fiant extorsiones, nec iniquè, & iniuste judicent, in quo si negligens sit, lethaliter maculatur, ex traditis per *Joannem Andream, post Hostiensem in c. 1. de officio Ordin. in 6.*, & tenetur ad damna subditis inde sequuta, ut ex communi tradit *Lessius de Jus. & Jure lib. 2. c. 32. num. 13.*, & ne Princeps in Ministrorum electione delinquat, & eorum negligentia, aut iniquitas, sibi noceat, habemus: *Exodi c. 18.*, requisita consideranda

- in electione Judicum, Ministrorum &c.; per hæc verba (*Provide de omni plebe viros potentes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue, ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios &c.*) ad quod dignum esset, ut percurreret *Opusculum 21. D. Thom. ad Duceffam Brabantia, Caietan. in V. officiorum Venalitas, Navar. cap. 25. num. 1.*, *Lessius de Jus. & Jure lib. 2. c. 32. dub. 3.*, & *4.*
- 12 Negligens administrare Justitiam subditis, Justitiam ipsam lædit, quia constituitur super populum, ut eum regat, eique Jus dicat, ad allegata per *Roland. à Vale consil. 18. tom. 3.*, *Afflic. decis. 265. num. 76.* & *seqq.*, nam sicut Ecclesia est cultrix Justitiæ, ita, & Princeps secularis debet Justitiam colere, & pro viribus sectari, *Roman. Consil. 298. circa præmissum n. 2. in fine*, & *num. 3.*, tum quia Princeps comparativè ad subditos, se habet tanquam custos conductus pretio, ad rem custodiendam, propter quod recipit tributa, Gabellas, pluraque alia bona, ei à publico sunt destinata, undè ex Justitia tenetur ad talem custodiam, quam, negligens Justitiam lædit. *Lessius de Justitia, & Jure lib. 2. c. 1. num. 13.*
- 13 Supremus Princeps, aliena detinendo, neglecta restitutione, rationabiliter invito domino, peccat mortaliter, sicuti quilibet privatus homo, ut communitè dicunt omnes de restitutione tractantes, ex capite iniustæ detentionis; idèdque si Imperator, si Rex, aut cujusvis alterius nominis Princeps, qui alienas Civitates, Castra, Terras &c. detineret, ex neglecta restitutione, peccaret mortaliter, & teneatur ad omnia damna inde sequuta. *Zachard. summa de præcept. Decal. p. 2. c. 32. Vers. peccat igitur, & Versiculis subsequentibus*, ubi multa ponit de supradictis negligentis, & omissionibus, ut si negligat curare quietem subditorum; providere de necessariis ad annonam, si negligat conservare aurum, & argentum necessarium ad tuitionem sui Regni, ita ut data occasione belli, teneatur recipere pecuniam ad usuram, vel tollere alienam, quia tunc dupliciter peccat, si negligat aptare facere vias publicas, vel vias à Prædonibus obsessas non liberet, si non puniat iniustos Officiales.
- 14 Hinc est quod prima, & maxima diligentia Prin-